Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2227

Quelle:
Copyright:

lamo exaratus et rubricis notatus continet aureum Opus *de Imitatione Christi*, de cujus Autore quantum et quamdiu certaverint ingenia, non est, quod Literatos moneam. Interim Thecae anteriori *Codicis* manus praedicti Seculi haec adscripsit: *Hunc tractatulum fecit quidam Canonicus Regularis S. Augustini et Intitulatur liber de Imitacione Jesu christi.* Unde facile coaevus *Thomae de Kempis* esse potest, qui annum 1471. in vivis supremum habuit. *Liber* porro I. ἀνεπιγραφος est, neque Capita numerata, litera tamen capitali miniata distincta habet. Ad ejus calcem *Index* Inscriptiones notas Capitum enumerat. Hunc sequitur: *Secunda pars. Incipiunt ammoniciones ad interna trahentes*, eadem ratione, nisi quod Indice subsequo careant. Cujus loco statim: *Incipit tercia pars huius libri que est de interna consolacione De interna christi locucione ad animam fidelem.* Atque haec Pars in istis *Cap. ult.* verbis: *et angustiam meam constituo quia totum* — — abrumpitur, unico *folio*, ut videtur, e *Codice* evulso, ut adeo is *Librum* IV. nunquam continuerit, quod haud insolitum. Ita solum *Librum* I. dedimus *Cod.* DCXCVII. Ut vero Lectionis aliquod periculum faciam, *Libri* I. C. 1. contendam cum elegantissima Editione *Lugd. Batav.* a *Job. Bollando* curata 1630. 12.

Codex:	Editio:
v. 1. *in vita ihesu*	*in vita Jesu Christi.*
v. 2. *qui spiritum habent — invenient.*	*haberet — inveniret.*
spiritum Christi.	*spiritum dei.*
v. 3. *Caritate.*	*caritate dei.*
v. 4. *in altum se extollere.*	*in altum statum se extollere.*
non curare.	*parum curare.*
illuc.	*illic.*
v. 5. *saciabitur.*	*satiatur.*

Pauca sunt haec, si eundem *Codicem* cum Editione *Jos. Valarti Paris.* 1758. 12. *maj.* compares:

Codex:	Editio:
v. 1. *dicit Dominus.*	Omissum.
velimus.	*volumus.*
Ihesu.	*Jesu Christi.*
v. 2. *spiritum habent — invenient.*	*spiritum ejus haberet — inveniret.*

Codex: